

quens si unquam, in Polyarchia maximè est, qua in haud raro malevoli nihil, tam in votis habent quàm ut par in honore Collega malè rem gerat, quò triumphare liberius valerent superstites. Non absimilem hac de re alit sententiam Schleidanus *lib. 2. histor. de stat. religion.*, ubi nihil magis obfuisse Germaniæ Principibus contra Carolum V. belligerentibus animadvertit, quàm quod non ex unius Philippi Landgravij Hassiæ arbitrio tota res fuerit administrata, sed belli consilia inter illum & Johannem Fridericum Saxoniae Electorem divisa; utpote quod plures in navi gubernatores, licet artem norint sat benè, tamen invicem sibi sint impedimento; facit huc quoque illud Lipsij *Major vis in Imperio unius est, quem collega nemo aut improbè turbat aut imperitè perdit.*

Theol. 13.

Observatum prudenter hoc à Romanis fuit, qui cum Polyarchicam Remp. in magnis periculis vidissent non factis validam, confugere ad Imperium Regium eligendo ad lexcenta in commoda evitanda Dictatorem, non ignari, quod sicut unus melius commodiusvè habenas tenere & regere currum potest ita etiam unum melius administrare Remp. Itaque primus omnium Dictator creatus fuit T. Lartius. *Lib. lib. 2. & quidem secundum Reulnerum in Isagog. anno 253. post urb. condit.* cujus dicto omnes audientes erant. Hoc unicum remediò vindicatam libertatem Appius Claudius existimabat, qui furorem vulgi antea compescere non poterat; *Agedum, inquit, Dictatorem à quo provocatio non est, creemus, hic quo nunc omnia ardent, conticescet furor; pulset tum mihi lictorem, qui sciet jus de tergo vitæ, sua penes unum illum esse, cujus majestatem violavit;* *Lib. lib. 2.* alia inter legendum exempla occurrunt passim. Sic seniores Gileaditarum cum Ammonitis dimicaturi antesignanum ac Ducem belli constituere Jephtam *Judic. 11. vers. 7. & seq.* Græci elegere suos Asymnetas, & non pridem, cujus equidem summa cum veneratione meminisse integrum erit, confederatas inter
provia-